

4.

Heiligenkreuz, Mon. OCist., Cod. 292, ff. 28v–29r, sermo 17¹

[Sermo quartus de sancto Ladislao rege]

(1) (f. 28v) „**Misericordia et veritas custodiunt regem et roboratur clemencia thronus eius**” (*Prv* 20, 28). – Proposita auctoritas quantum ad literam, habetur *Prov.* 20., et in quantum presenti congruit sollempnitati, duo in ea dicuntur per ordinem, que maxime faciunt ad beati Ladislai, gloriosi regis nostri commendacionem, videlicet

excellentissima vite ipsius sanctitas
et mirifica regie dignitatis maiestas.

(1.1) Et quidem excellentissima vite ipsius sanctitas relucet eo, quod dicitur in proposita auctoritate: rex misericordia et veritate custoditus, quod notatur ibi, cum premittitur: „**Misericordia et veritas custodiunt regem**”.

(1.2) Mirifica autem regie ipsius dignitatis maiestas ostenditur in eo, quod thronus regni ipsius dicitur per clemenciam roboratus, et hoc notatur ibi, cum subiungitur: „**et roboratur clemencia thronus eius**”.

(1.1.1) Beatus autem Ladizlaus misericordem se exhibuit duplicitate, videlicet quantum ad se ipsum,
et quantum ad quemlibet sibi subiectum.

(1.1.1.1) Ad se ipsum autem misericors fuit, quia ante omnia misereri sibi ipsi studuit secundum illud, *Ecli.* (30, 24): „Miserere anime tue placens Deo”, et hic est rectissimus ordo miserendi, ut scilicet homo prius sibi ipsi misereatur et postea proximo compaciatur, quod facit quilibet, dum vitat malum, et convertit se ad bonum. Et nihil unicuique tantum est bonum, quam ut misereatur anime sue secundum illud, *Prov.* (11, 17): „Benefacit anime sue” qui est „misericors.” Et talis fuit gloriosus rex noster beatus Ladizlaus, qui vitavit malum culpe et convertit se ad bonum misericordie.

(1.1.1.2) Secundo ostendit se beatus Ladizlaus misericordem non solum ad se ipsum, sed etiam ad quemlibet alium sibi subiectum, et hoc dicitur, videlicet peccatoribus compaciendo pro commissis, et indigentibus subveniendo in elemosinis. Et hoc secundum duplitem misericordie descripcionem sive ethimologiam, sicut enim dicit Ysidorus in lib. *Ethimologiarum*: „Misericors a compaciendo alienae miserie vocabulum est sortitus, et inde misericordia est appellata, quia miserum facit cor dolentis de aliena miseria.”² De alio modo autem misericordia dicitur virtus, per quam animus super calamitatem afflictorum movetur, et revera beatus Ladizlaus fuerit misericordissimus compaciendo peccatoribus et afflictis, ut dicitur in *Legenda* sua: „Peccata populi sui cottidie amarissime deplorabat.”³

(1.1.2) Et licet hec virtus commendabilis sit in omnibus, precipue tamen commendabilis est in regibus et principibus. Per hanc enim virtutem

purificatur anima,
acquiritur vita,
invenitur gracia,
obtinetur custodia,
et rependitur eterna misericordia.

¹ Heiligenkreuz, Cod. 292: sermonarium saec. XIV/1, sermo ipse originis Hungaricae. – (Madas–Horváth 2008, 92–96.)

² Isidorus, *Etymologiae*, lib. 10, 164.

³ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 15: „peccata populi sui plangebat”

(1.1.2.1) Et quidem per misericordiam primo purificatur anima secundum illud, *Prov.* (16, 6): „Misericordia et veritate redimitur iniquitas.”

(1.1.2.2) Secundo per misericordiam acquiritur vita secundum illud, *Prov.* (21, 21): „Qui sequitur misericordiam, inveniet vitam.”

(1.1.2.3) Tercio per misericordiam invenitur gracia secundum illud consilium Sapientis, ibidem in *Prov.* (3, 3–4): „Misericordia et veritas non te deserant, et invenies graciam coram Deo.”

(1.1.2.4) Quarto eciam per misericordiam obtinetur custodia, secundum quod dicitur in proposito themate, quia „**misericordia et veritas custodiunt regem**”.

(1.2) Sed in secunda parte convenienter commendatur a mirifica regie dignitatis in maiestate, quod notatur cum subiungitur: „**et roboratur clemencia thronus eius**”. Sicut enim veritatem exercuit in exequendis iustis iudiciis, sic clemenciam servavit in mitigandis puniendorum penis.⁴ „Clemencia” enim regis est „quasi imber serotinus”, ut dicit Sapiens in *Proverb.* (16, 15). Et ideo nullum magis decet clemencia, quam regem et principem, ut dicit Seneca.⁵ Quia ergo beatus rex Ladizlaus fuit clementissimus, ideo „*a toto regno suo rex piissimus vocabatur*”, secundum quod habetur in *Legenda* sua.⁶ Et ideo in proposita auctoritate convenienter dicitur „**thronus eius per clemenciam roboratus**”.

Et licet plura sint, que roborent et firment regiam dignitatem, principaliter tamen quatuor sunt, que roborant et firmant regie dignitatis maiestatem, scilicet

mali evitacio,
equa iudicii exsecucio,
in pauperes miseracio,
et sui ipsius in subiectos humiliacio.

(1.2.1) De primo habetur *Prov.* 25, (5) ubi dicit Sapiens: „Auferte impietatem de vultu regis, et firmabitur iusticia thronus eius.” Licet enim rex maior sit omnibus hominibus et a nullo iudicetur, tamen semper debet esse timidus, ut dicit quedam *Glossa* super illo verbo, *Ps.* (50, 6): „Tibi soli peccavi et malum coram te feci”, quia „exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta pacientur”, ut dicitur in libro *Sapientis* (6, 7).

(1.2.2) De secundo autem, scilicet equa iudicii execucione, loquitur Sapiens in *Prov.* 20 (recte 29, 14): „Rex – inquit – qui iudicat in equitate pauperes, in eternum firmabitur thronus eius.”

(1.2.3) De tercio autem, scilicet regis in pauperes miseracione, habetur in I-o *Macch.* (2, 57), ubi dicitur, quod „David in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula”.

(1.2.4) De quarto autem et ultimo, scilicet sui ipsius in subiectos humiliacione, habetur in *Deuter.* (17, 20), ubi loquitur Dominus Moysi de informacione regis: „Non elevetur – inquit – super cor suum in superbia super fratres suos, ut longo tempore regnet ipse et filii eius.”

Et quia omnia ista beatus Ladizlaus, gloriosus rex noster plenissime habuit, quia vite sanctitate claruit et regiam potestatem gloriosissime exercuit, ideo ad Christum, regem omnium regum feliciter pervenerit, quo eciam nos meritis ipsius suffragantibus perducere dignetur ipse Jesus Christus, qui est benedictus in secula. Rogemus ergo etc.

⁴ Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 518, 27–28: „Unde rigorem iustitie lenitate temperans misericordie...”

⁵ Ps.-Hieronymus, *Epistola* 148. – PL 22, 1214.

⁶ Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 5–6.